



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi Societatis Iesv

Cepari, Virgilio

Antverpiæ, 1630

Aspectus Ioannis alijs ad castitatem stimulus est.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46083)

instar cælitis, Deo se per merita illius commendabant. Plures denique apud se taciti exclamabant: Felicem te, qui instar Angeli de cælo in hocce collegium lapsi, huc ad nos excitandos exemplo tuo descendisti! & lacrymis non temperabant, & puris se castitatis amoribus inflammari aspectu eius sentiebāt. Quæ res cum ad eundem Cardinalem Bellarminum essent relatæ, profusis quoque lacrymis, Priuilegium hoc, inquit, beatissimæ Matris, non nisi illius ipsius fauore potuit seruo ac filio eius impertiri. Quæ sapientissimi Cardinalis opinio verisimilis redditur prece quadam duodecim salutationum Angelicarum, quâ castissimus hic adolescens beatissimæ Virginis puritatem meditatus quotidie eam fatigabat, vt & ipse sermone moribusque afflare alijs posset amorem puritatis, omnemque depellere cogitatum castimoniam repugnantem: sicut ipsa videlicet sui aspectu omnem humanis mentibus cogitationum lasciuiam depellebat. Quas preces litteris mandatas his verbis faciendas conceperat: *Beata Virgo impuras aliorum cogitationes suo aspectu pellebat: pete & tu, vt tuâ conuersatione castitatis amorem ingeneres in alijs.*

Altera prærogatiua, cuius post mortem compos fuit, videtur esse potestas illa, quâ multis opem eius implorantibus inter pericula

cula castitatis suppetias venit. Etenim sæcularium Religiosorumque hominum, cuiuscumque ordinis aut sexûs, plurimi Angelicâ eius puritate cognitâ, cum in grauissima castitatis discrimina subinde incidissent, nequidquam sese illis explicare conati, eius tandem ope inuocatâ, remedium inuenere, libidinum suarum ignibus repente velut aquâ effusâ extinctis. Postea verò, ad illustrandam Dei eiusque seruuli Ioannis gloriam, accepta beneficia apud varios nostrum professi, testandæ gratitudinis ergò, aut per se ipsi, aut per alios votiuas memoriæ tabulas, atque anathemata monumento eius suspendere, perpetuâ deinde veneratione religioneque castissimum Iuuenem profecuti: vt videatur profecto beatissima Virgo hunc seruum suum ac filium non modò viuum prærogatiuis, sed & mortuum prodigijs ornare voluisse. Ioanni, ad asserendam subducendamque longissimè innocentiam suam, ab omni noxâ seu aduersus leges Religionis seu Præcepta seu Consilia diuina (vti diximus ab eo propositum fuisse) extra singulare Dei præsidium, hæ quinque prætereà res auxilio fuere: Comoda bonaque natura; ordinata viuendi ratio; linguæ custodia; vsus examinis; diei denique vnus mensis quolibet, ad res animi sui excutiendas disponendasque vacatio: quæ res